

SMARAGDUS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.)

Smaragdus abbas S. Michaelis ad Mosam in diocesi Virdunensi, ord. S. Benedicti, et antea quoque præceptor, qui fratres monasterii grammaticam docuit. Anno 810 Romæ fuit in collatione inter papam et legatos Caroli Magni de processione Spiritus sancti; anno 824 una cum Frothario episcopo Tullensi iudex datus est a Ludovico Pio imp. in controversia inter Ismundum abbatem Mediolanensem et monachos ejus. Reliquit hæc ingenii sui monumenta:

1. *Commentarius in Evangelia et Epistolas in divinis officiis per anni circulum legenda*. Argent. 1536 fol. Trithemius *Postillam* vocat. Hos sermones a Casp. Helione Germ. versos esse ait Possevinus tom. II Apparatus, p. 418, et Wion in *Ligno vitæ*, II, 77.

2. *Diadema monachorum vel de ecclesiasticorum et monachorum maxime virtutibus*, ex sententiis Patrum, contextum. Paris., 1532, in-8°; 1640, in-12; Antwerp., 1540, in-8°, et in Bibl. PP. maxima, tom. XVI, p. 1305.

3. *Commentarius in regulam S. Benedicti*. Colon. 1575, fol. Editus est post synodum Aquisgranensem anno 817 habitam, quia quædam ejus statuta repetit. Male vero editus est inter Opera Rhabani Mauri, quia in hoc commentario varia occurrunt quæ ex *Diademate monachorum* et *Via Regia* repetiit. Versus huic commentario præfixos edidit Joan. a Bosco in Bibl. Floriacensi, tomo I, pag. 290.

4. *Via Regia*, ejusdem indolis ac *Diadema monachorum*, exstat apud Dacherium, *Spicil.* tom. V, p. 1, ed. prior., et tom. I, p. 238, edit. post.,

5. *Acta Collationis Romanæ*, an. 810, apud Sirmundum Concil. Galliæ tom. II, p. 256, et Lab-

beum, tom. VII, p. 1194; Harduinum, V, pag. 969. In Bibl. Heilsbrunnensi Codex est membranaceus, in titulo exhibens *Collationum librum II, capitula XVI complexum*; quod an huc referendum sit, an vero opus singulare sit, non dixerim. Vide Catalogum Hockerii, pag. 11.

6. *Epistola Caroli Magni ad Leonem pontificem de processione Spiritus sancti* etiam nostro tribuitur, ibid., p. 1199, Harduinus, pag. 973.

7. *Epistola ad Ludovicum Augustum* communi nomine Frotarii episcopi Tullensis et Smaragdi abbatis scripta habetur inter epistolas Frotarii loco tertio; apud Andr. Duchesne *Script. Rerum Franc.* tom. II, p. 71.

8. *Grammatica major seu Commentarius in Donatum*. Mabillonius exemplar ms. in monasterio Corbeiensi vidit ex quo præfationem et quædam libri specimina protulit in *Analectis*, p. 358. Opus divisum est in libros XIV, quibus in alio codice decimus quintus de Orthographia subjicitur. In illo exempla potius ex sacris quam profanis scriptoribus protulit, et nonnunquam etymologias verborum Gothicorum et Francicorum immiscuit.

9. *Commentarius in prophetas* et

10. *Historia monasterii S. Michaelis* sunt inedita. Varia de hoc Smaragdo legas in *Chronico monasterii S. Michaelis*, quod exhibent *Analecta Mabillonii*, p. 350 seqq., et in adnotatione Mabillonii, p. 357; *Histoire littéraire de la France*, tom. IV, p. 439; *Bulæzi Hist. Univers.* Paris., tom. I, pag. 641; *Leyseri Historia poetarum mediæ ævi*, p. 284.

SMARAGDI ABBATIS

VIRI SANCTIMONIA ET DOCTRINA CLARISSIMI (QUI VIXIT ANNO DOMINI DCCCCLXX)

IN EVANGELIA ET EPISTOLAS QUÆ PER CIRCUITUM ANNI IN TEMPLIS LEGUNTUR CUM PRIMIS DOCTA ET PIA EXPLICATIO,

Ex principibus Ecclesiæ doctoribus, Origene, Hieronymo, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Cypriano, Cyrillo, Gregorio, Victore, Fulgentio, Cassiodoro, Eucherio, Tychonio, Figulo, Beda, Primasio, etc., mira, sed clara brevitate congesta omnibus Ecclesiæ ministris, quibus ad singulos emendo tenuitas obstat, utilissima juxta ac necessaria. Jam recens inventa, revisa et in Ecclesiæ Christianæ profectum edita.

TYPOGRAPHUS PIO LECTORI SALUTEM.

Quod Plinius in *Naturali Historia* de gemmis scribit, naturæ majestatem in iis in arcum coactam, nec ulla sui parte mirabiliorem esse, hoc equidem de Smaragdo libri istius auctore dicere non injuria

D possim, qui quidquid habent catholici Patres, Origenes, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Cyrillus, Gregorius, Victor, Fulgentius, Joannes Chrysostomus, Cassiodorus, Eucherius, Tychonius,

Recudimus juxta editionem rarissimam Georgii Ulrich, Andlami (*Andlau*) impressoris, datam Argentorati anno 1536, mense Martio, quam nobis benevole suppeditavit vir eruditissimus D. Jung, bibliothecæ Argentoratensis præpositus. Notam chronologicam quam exhibet titulus falsam esse ex multis

monumentis constat. Fabricius in *Bibliotheca Dacherii* in *Spicilegio*, auctores *Hist. litt. Galliæ Smaragdum nostrum* annis 150 juniorem et ad tempora Ludovici Pii revocandum censent; quos sequimur. Edit.

PATROL. CII.